

ventum, magis expedire videtur, quod nihil immutetur, nisi *Antiphona IX. ad Matutinum* in Officio et *vers. ad Graduale* in Missa. Secus enim in casu praefatae translationis opus foret aliud ordinare Officium, quod tempore quidem congrueret, quin tamen necessario id requirat festivitatis obiectum, cum illud, quod recitamus, aptissimum sit ad implorandum potentissimum Deiparae Patrocinium.

Quoad secundam dubii partem in *Antiphona et R. VII.* magis convenire videtur Lectio: *Tuum Sanctum Patrocinium*, quam: *Tuam Sanctam Festivitatem*, praesertim apud Franciscanos ex peculiari Rubrica, quae legitur ad domin. 2. Novbr., videlicet: *Omnia, ut in festo ad Nives et in Officio parvo, praeter lectiones secundi Nocturni. In fine Antiphona ad Magnificat et R. VII. dicitur: Tuum Sanctum Patrocinium.*

Cum sub 22. Aprilis 1741 obtenta fuerit facultas pro servanda in posterum uniformitate in Eremis sub Dominio Reipublicae Venetiarum recitandi Officium Patrocinii B. V. M. pro die 14. Novbr. utpote minime impedita ab alio Officio, modo compertum est, illam diem assignatam a S. C. R. Andreae Avellino (11. Julii 1739) pro omnibus sub regula s. Benedicti militantibus. Quaeritur: an possit, hoc non obstante, recitari Officium Patrocinii B. V. M. ipsa die 14. Novbr.? S. C. resp.: Posse recitari Officium B. V. M. die 14. Novbr. et remitti ad aliam diem non impeditam Officium s. Andreae Av. n. 4136 ad 1 die 19. Jan. 1743.

*Ad dubium:* Pro festo Patrocinii B. M. V. assignata fuit dom. 4. Oct., quaeritur: an occurrente festo altioris ritus adsit Decretum Generale, quo festum Patrocinii transferendum sit in primam diem non impeditam? et sic

pro omnibus festis concessis eodem modo impeditis?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Juxta Decreta Officia affixa certis hebdomadae diebus, iis aliquando impeditis, eo anno omittenda sunt, ac proinde in casu, si Officium Patrocinii Deiparae in dioecesi Suessionen. fieri impediatur domin. 4. Oct., ex gratia transferri conceditur ad primam diem liberam.“

Atque ita rescripsit. n. 5215 ad 4 die 22. Julii 1855.

## PATRONUS.

### 1) Capellae.

Cf.: *Credo in festis Titularib. Capellar. etc.; Titularis Capellar. etc.*

In oratione *A cunctis* subjungi non potest nomen Patroni Capellae propriae, si habeat. n. 4909 ad 3 die 12. Sept. 1840.

### 2) Cathedralis.

a) Nomin. in oratione „*A cunctis.*“

Cf.: *A cunctis; Confiteor; Suffragia; Concede* (decr. n. 4560); *Titular. Cathedr.*

In Hispania est praecipuus Patronus Regni B. ap. Jacobus et in Ecclesia Cathedr. Guadicensi s. Torquatus; cuius nomen dici debet?

S. C. resp.: In oratione *A cunctis* post nomina ss. ap. Petri et Pauli nomen Torquati tamquam Ecclesiae Cathedr. Patroni dumtaxat ponendum esse. n. 2856 ad 8 die 22. Jan. 1678.

S. Jacobus est patronus univers. Regnor. Hispaniae, ss. vero MM. Hemeterius et Caledonius fratres sunt patroni particulares Cathedralis et totius dioecesis Santand.

Quaeritur: Quis ex his patronis debeat nominari tam in confessione *post\** nomina ss. Apost. quam in or.

\*) Vd.: *Suffragia* (decr. n. 2749).

*A cunctis*, quando in missis haec oratio dicitur in Ecclesia matrice et in caeteris Dioecesis?

S. C. resp.: In qualibet Ecclesia nominandum esse patronum seu Titularem proprium ejusdem Ecclesiae. n. 4448 ad 15 die 22. Jan. 1793.

### b) Officium Monialium.

Vd.: *Breviar. Monasticum* (decr. n. 4686); *Patron. Cath.* (Off. Regul.).

### c) Officium Regul.

Cf.: *Titular. Cathedr.; Patronus Dioecesis; Festum Cathedr.; Moniales* (Breviar.).

Regulares in festis Patronorum Cathedralium locorum debere celebrare sub ritu duplici Officium cum Missa, prout celebratur in dictis Cathedralibus, ipso tantum die festo et non octavas, et ita per quoscunque Regulares servari debere. n. 866 die 22. Junii 1630; n. 1589 die 1. Junii 1647; n. 1805 die 10. Junii 1656; n. 3302 ad 4 22. Nov. 1664.

Regulares teneri ad recitationem Officii proprii Sanctorum Patroni principalis Ecclesiae Cathedr. et Civitatis. n. 1805 die 10. Junii 1656.

### 3) Civitatis.

a) Festum, quod celebrand. est, si plures sunt Patroni?

In civitate, ubi sunt multi Patroni, servandum esse festum tantum unius ex principalioribus patronis. n. 1530 ad 2 die 4. Martii 1645.

#### Collen.

Apud Podium Bonitium in Etruria dioecesis Collen. celebris est memoria beati Lucii seu Luchesii Confessoris, qui pluribus exornatus virtutibus habitu tertii Ordinis s. Francisci suscepto in vita sanctis operibus, post obitum multis miraculis coruscavit, sicuti re-

Decreta authentica. Tom. II.

fert Martyrologium Romanum trium Ordinum ejusdem s. Francisci decimo-septimo Kalendas Maii. His permotus beatus Gregorius X. Summus Pontifex, dum ad Lugdunense Concilium iter institueret, Podium Bonitium visitans expetivit, ut sacro agmine instituto caput supradicti Beati circumferetur per Oppidum; quo ex tempore, pia traditione docente, habere coepit idem beatus Lucius veluti praecipuus Oppidi et Comitatus Patronus ejusque festum veluti Patroni servari. Novissimis tamen temporibus populo Oppidi Podii Bonitii accessit onus servandi etiam sub utroque praeepto festum s. Martialis patroni civitatis et dioecesis Collensis. Sed quum s. Martialis festivitas recurrat quotannis Kalendis Julii plerumque contigit eundem populum trium sibi succedentium dierum festivorum periodo gravari ea maxime tempestate, qua matura messis fervent opera, nec adest tantum periculum violandi praeepti et occasio, sed etiam ipsamet necessitas. Quapropter clerus et populus Podii Bonitii et Comitatus ejusdem prae oculis habentes Epistolam sa. me. Benedicti Papae XIV. datam 14. Kal. Augusti anno 1749 Archiepiscopis et Episcopis Etruriae, quae praecipit cujusvis tantum praecipui quarumcumque civitatum vel locorum patroni pro veteri Ecclesiae catholicae instituto festum sub utroque praeepto esse servandum, Sac. Rituum Congregationi humillime supplicaverunt, ut elevato ad integrum praeeptum festum beati Lucii praecipui patroni ejusdem Oppidi et Comitatus, servilia opera in festo s. Martialis, necessitate tantum sacrificio adstandi servata, permitteret. Et Sacra eadem Congregatio nihil primitus declaravit, sed sub die 12. Novbr. 1831 Rmi Episcopi Informationem et votum requisivit. Quo praeepto iterum sub die 7. Aprilis superioris anni 1832 praecipit, ut po-

mittant principalis Patronae, alii non item ad id teneri arbitrantur. Itaque S. C. regulae adhaerens proposito dubio respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Sed quoniam providendum erat quieti animarum, cum et Confessarii in diversa abirent, scandalisque parandum erat remedium, addiderunt Patres: Consulendum SSmo pro absoluteione quoad praeteritum et exemptione quoad futurum, quatenus opus sit.

#### 4) Commemoratio.

Vd.: *A cunctis*; *Commem. Patroni*; *Suffragia*.

S. Jacobus est Patronus universalis regnorum Hispaniae, ss. vero mm. Hemetrius et Caledonius fratres sunt Patroni particulares Cathedralis totius et dioecesis Santanderiensis rite electi et novissime approbati a S. R. C.; quaeritur igitur: Quis ex his Patronis debeat nominari tam in Confessione post nomina ss. ap. Petri et Pauli, quam in Oratione: *A cunctis*, quando in Missa haec Oratio dicitur in Ecclesia matrice et in caeteris dioecesis?

In casu, quo ob dignitatis praestantiam nominare debeat s. Jacobus, quaeritur: An post ss. Apostolorum exprimi etiam possint nomina ss. Hemetrii et Caledonii in praedicta Oratione et Confessione, praecipue in Ecclesia matrice, ubi s. eorum capita venerantur? Et si negative, supplicatur pro gratia ad promovendum cultum, qui ipsos decet in Ecclesia Cath. ac tota dioecesi ratione sui specialissimi patronatus?

S. R. C. resp.: In qualibet Ecclesia nominandum esse Patronum seu Titularem proprium ejusdem Ecclesiae.

Die 26. Jan. 1793 et 22. Jan. 1678.

#### 5) Confraternitatis.

##### a) Festum.

Aliquae Sodalitates Patronum habent, ss. Thomam, Luciam ac s. Josephum etc. Quaeritur: An quando praedicta festa occurrunt in dominicis privilegiatis Adventus et Quadragesimae, attento concursu sodalium aliorumque devotorum, possit cantari missa de Patrono?

S. C. resp.: In publicis Oratoriis cantari potest missa de Titulari occurrenti in dominicis Adventus et Quadrag. privilegiatis, non autem in illis exceptis, et in missa dicenda est commemoratio dominicae et diei Octavae tantum occurrentis, cum Evangelio ejusdem dominicae in fine.  
n. 4507 ad 8 die 8. Apr. 1808.

Sancti Titulares ac Patroni Confraternitatum vel Sodalitatum, qui propria Ecclesia carent, equiparari non debent (nec in eorum diebus festis) Titularibus ac Patronis Ecclesiarum alienarum ac paroch., in quibus exstant, et iisdem frui privilegiis ac isti.  
n. 4815 ad XII. 1 die 22. Sept. 1837.

Item Sacerdotes confluentes ad dictas Ecclesias in festis Patronorum et Titul., ut supra, non debent in missa addere *Credo* et dicere unicum Orationem. *Ibid.* ad XII. 2.

Item *ad dubium*: An occurrente festo Patroni vel Titularis praedicti in dominica privileg. 2. cl. missae priv. dici possint et debeant de Sancto cum commemoratione dominicae et ejus Evang. in fine an vero missa tantum sol.? S. C. resp.: Negative.  
*Ibid.* ad XII. 3.

##### b) Insignia.

Non licere supra januam Ecclesiae in publico exponere Insignia Protectoris Confraternitatis, sed ponatur

supra Capellam Confraternitatis intus Ecclesiam. n. 787 die 9. Dec. 1628.

#### 6) Credo, dicendum in ejus Missa.

Vd.: *Credo*.

#### 7) Dioecesis.

##### a) Obligatio Cleri saecul. ad Officium.

Vd.: *Dedicatio Cathedr.* (oblig. et octava, decr. n. 4044); *Patronus loci* (oblig. ad Off., decr. n. 4605 nota circa finem).

*Ad dubium*: Cum multa sint loca, quae non habent Patronum principalem, quaeritur: an possint et debeant celebrare uti Patronum principalem festum s. Januarii, qui est Patronus principalis totius partis regni Siciliae, citra Pharam, (cujus festum usque ad emanationem praefatae Bullae celebrabatur in dioecesi Neapolis cum duplici obligatione audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus operibus, et in reliqua parte regni cum onere tantum audiendi Sacrum) transferendo pro illis praedictis locis in diem dominicum festum s. Januarii?

Et S. C. resp.: „Provisum in primo Brevi, in quo habetur, quod pro urbe Neapolis tantum retineatur festum s. Januarii; in reliqua parte regni idem festum retinere debet propriam sedem et ritum, et sine praecepto audiendi Sacrum. Quoad loca vero, quae non habent Patronum principalem, satis provisum in secundo Brevi die 15. Oct. labentis anni, quod jubet, ut civitates et loca, quae peculiarem Patronum non habent, festum Patroni principalis dioecesis pari solemnitate celebrare teneantur.“

Et ita etc. n. 4553 ad 12 die 18. Oct. 1818.

Montis Episcopalis Patronus dioecesis Argentinae s. Arbogastus celebratur dominica die 25. Julii imme-

diatae praecedenti; quaeritur: si haec dominica simul est tertia Julii, num juxta alias a S. R. C. die 3. Apr. 1821 declarata transferendum sit festum SS. Redemptoris (a Congreg. SS. Redemptoris) an potius illud Patroni dioecesis?

S. C. resp.: Ad tramites citati decreti gen. in casu festum SS. Redemptoris ut secundarium transferendum. n. 4842 ad 4 die 1. Sept. 1838.

*Ad dubium*: Oeniponti dioecesis Brixien. Patronus regni est s. Joseph sponsus B. M. V. et Patronus seu Titularis Ecclesiae Cathedr. translatio s. Cassiani Episc. Mart. dom. 2. post Pascha. Ast anno currenti a censura Ordinariatus nostris Patribus injunctum, immo statim in Directorio impressum fuit festum ss. Ingenuini et Albuini Patronorum Brixin. sub ritu dupl. 1. cl. die 5. Febr. Quaeritur: num nostri teneantur aut possint hoc festum, quod non est de praecepto pro foro, recitare, aut an potius ad evitandas contentiones praedictum festum pro forma tantum imprimendum sit in Directorio, admonendo privatim Patres de ejusdem in choro omissione?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Dummodo Sancti sint Patroni praecipui regni vel dioecesis, de ipsis sine Octava recitandum est Officium juxta alias decreta pro Regularibus.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit a Patribus Congregat. SS. Redemptoris extra Italiam et in dominiis Austriae domus degentibus.

n. 4842 ad 3 die 1. Sept. 1838.

#### Brixinorien.

*Ad dubium*: 1. An possit et debeat Episcopus vigilare et exigere, ut festum s. Catharinae virginis et mart. Patronae principalis dioecesis, tamquam Patrona etiam principalis in quocumque dioecesis loco observetur de praecepto, in casu etc.?

2. An segregati in spiritualibus a terris et oppidis Patronum habentibus, et dioecesi Bricinoriensi noviter et permanentemente uniti, debeant, tamquam Patrono carentes, servare Decretum S. R. C. docens et statuens, quod populi non habentes principalem Patronum debeant celebrare festum Patroni civitatis ac dioecesis in casu etc.?

S. C. resp.

Ad 1.: „Affirmative, dummodo in locis dioecesis nullus reperitur legitimus Patronus principalis.“

Ad 2.: „Jam provisum in primo.“  
N. 4611 ad 1 et 2 die 5. Martii 1825.

Vd.: *Patron. civitat.* (festum, quod celebr., decr. de die 5. Mart. 1825).

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Facti species haec erat. Bricinoriensi dioecesi novissimis temporibus plures accesserunt parochiae cum suis plebibus. Siquidem ex conterminis *Abbatibus s. Elleri de Galeata et s. Mariae in Cosmedin.* suppressis *sa. me. Pius VII. anno 1784* duodecim parochias, quae temporali Pontificio dominio subiciebantur, Bricinoriensi Ecclesiae adjunxit: anno 1806 *sa. me. Pius VII.* addidit septem alias, quae prius ad *Abbatiam Nullius Foro Pompilii* pertinebant. Quoniam autem ab eo usque tempore, quo Bricinoriensis civitas ad sedem episcopalem evecta fuit, quod accidisse fertur saeculo XIV., Virginem et Martyrem *Catharinam*, quae jam erat Titularis majoris Ecclesiae, Cathedralis honore postea decoratae, civitatis et dioecesis incolae ut principem Patronam habuerunt, ei tribuentes omnia venerationis obsequia, quae Patronis debentur, opinio invaluit, quod adjectae supramemoratae parochiae, ut caetera dioecesis loca, *s. Catharinam* in Patronam assumere deberent. Hinc orta dissidia, cum ali-

quae plebes, quos antea coluerant, nollent cum diverso Patrono commutare. Composita res fuit quoad parochias primae accessionis; nam (si unus excipiatur populus Terrae Civitella, qui arbitratur sibi Patronum adesse *s. Philippum Nerium*, haud se induci sivit, ut *s. Catharinam* ei in Patronatu sufficerent) aliae omnes undecim minime dubitarunt illam in Patronam habere, quae hoc honore in dioecesi Bricinoriensi decorabatur. At non ita accidit de aliis parochiis avulsis ab Abbatia et Territorio Foro Pompilii; singulae quippe Patronos, quos prius coluerant, retinere voluerunt. Hujusmodi dissidia et in Patronis colendis varietates excitarunt sollicitudinem vigilantissimi Episcopi, qui, ut cuncta componeret et ad formam legis exigeret, S. R. C. supplex rogavit, ut, quid facto opus esset, sua auctoritate definiret. Implexa res videbatur, cum de tot diversis Patronis ageretur: nihilominus S. C. brevi responso ad duo prima dubia singulis plebibus, quae peculiare Patronos venerabantur, sua prudentia consuluit. Generalem regulam dedit ubique in similibus servandam, qua, ut saepe alias declaratum fuerat, sancivit, ab omnibus colendum esse civitatis Patronum, *dummodo in locis dioecesis nullus reperitur Patronus principalis.* Hisce adnumerari nequibat populus Terrae Civitellae, qui perperam putat sibi adesse Patronum *s. Philippum Nerium*, minime servata forma Decretorum *Urbani VIII.*, arbitrarie assumptum. Id clarissime evincitur, tum quia idem Sanctus in illa Terra ritu dupl. major. gaudet, tum etiam quia usque ad *annum 1784* in eadem cultum principalis obtinuerat *s. Elleri* Ecclesiae, cui tunc subiciebatur, Patronus. Nequit igitur praefatus populus feriatum habere diem festum *s. Philippi* (nisi ex simplici devotione fiat), sed juxta praefatum

S. C. responsum *s. Catharinam* ut praecipuam Patronam colere debet. Quid vero dicendum de parochiis et plebibus, quae sub jurisdictione fuerant *Abbatiae Nullius Foro Pompilii* et modo adjectae sunt dioecesi Bricinoriensi, si retinere cupiant Patronos, quos ut principales territorii, in quo versabantur, coluerant? Turbandine erunt a legitima possessione et cogendi, ut alium Patronum assumant? Si meum fas est expromere sensum, in libertate iisdem id esse relinquendum videtur. Difficile enim est, ut antiquum Patronum, quem tam majores quam ipsi specialibus venerationis significationibus coluerant usque adhuc, modo velint deserere, ut alterum prosequantur. Vere quippe ipsorum Patronus, quia talis erat Ecclesiae, cui subiciebantur. Sed licet haec mea sit opinio, attamen magis congruere credo, si fieri sine turbis et offensione potest, ut hortationibus inducantur harum parochiarum et pagorum incolae ad debito honore colendam Patronam dioecesis, ad quam modo pertinent. Plura disserere non est opus, consulto tamen haec adnotavi, quia non raro accidunt hujusmodi dismembrationes et adjectiones ac opportunum visum est, cohaerenter ad S. R. C. responsum, regulam tradere, quae hisce in casibus quoad principales Patronos servanda sit. Ad rem hanc illustrandam nonnihil prodest aliud recentius Decretum ejusdem S. C. in Collen. 27. Martii anni mox praeteriti 1824 cum subiectis adnotationibus, quas inutile est hic repetere.

Quando festum *s. Rumoldi*, quod celebratur die 1. Julii, coincidat cum solemnitate *ss. Ap. Petri et Pauli*, tunc missa sol. tam in Ecclesia Metrop. quam in aliis Ecclesiis civitatis Mechl. cantatur de festo *s. Rumoldi*, addita commemoratione *ss. Apostolorum* sub unica conclusione, et sub distincta

conclusionone fit commemoratio octavae *s. Joannis Bapt. ac dominicae occur.*, de qua in fine missae leg. Evangel. Quum autem S. R. C. die 1. Septbr. 1838 hanc praxim servari posse responderit, quaeritur:

I. An liceat ad uniformitatem obtinendam hoc extendere ad totam Archidioec. Mechl., in qua *s. Rumoldus* nunc colitur ut Patronus, ritu dupl. 1. cl. cum octava, sic tamen, ut occurrente festo ejus infra hebdomadam non habeat solemnitate dominica subsequente, quia nunquam fuit obligatio per totam Dioecesim audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus in praedicto festo *s. Rumoldi*?

II. Si missa sol. sit cantanda de solemnitate *ss. Ap. Petri et Pauli*, quaeritur: an in ea sit facienda commemoratio *s. Rumoldi*, dioecesis Patroni, de quo tunc recitatur off. ritu dupl. 1. cl.?

S. C. resp.

ad I.: Affirmative in Omnibus;

ad II.: Jam provisum in praecedenti.

Die 12. Sept. 1840 ad 5 in *Mechlin.*

b) Oblig. Regul. ad Officium.

Vd.: *Compatronus* (oblig. etc., decr. n. 5042); *Moniales* (Breviar.); *Dedicatio Cathedr.* (oblig. Regularium); *Patron. paroch.* (decr. de die 27. Febr. 1847).

*Ad dubium:* Utrum Regulares possint et debeant festum Patroni regni et dioecesis, ubi commorantur, celebrare, non obstante celebratione proprii Ord. Patroni, et sub quo ritu?

S. C. resp.: Quoad primam partem affirmative, quoad secundam: ritu dupl. 2. cl. sine octava. n. 4941 ad 8 die 16. Apr. 1842.

*Ad dubium:* Quum *S. Kevinus* a Clero saeculari habeatur ut unus ex Patronis Archidioecesis Dublin., et universo Clero indultum fuerit a S. S.

neretur in folio, ut omnia maturius considerari valerent. Habita postmodum nova ejusdem Episcopi Informatione sub die 16. Martii vertentis anni rescripsit: *Dilata, et scribatur Episcopo ad mentem.* Sacrae Congregationis mens fuit percipere, ut, quum jam ab anno 1780 firmiter recognitus fuerit beati Lucii patronatus et officium proprium adprobatum, aliquid esset ab ipsomet Episcopo in re observandum. Quum autem Rmus Collen. Antistes declarasset nihil aliud superesse observandum promptumque esse ad qualemcumque decisionem admittendam, Sacra eadem Congregatio in ordinariis Comitibus ad Quirinale sub infrascripta die coadunatis, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Caroli Odescalchi Episcopi Sabinen. Ponentis, omnibus denuo mature riteque libratis rescribendum censuit: *Pro gratia sublato onere audiendi Sacrum in die Sancti Martialis.*

Die 17. Aug. 1833.

Super quibus omnibus facta postmodum per ejusdem Sac. Rit. Congregationem Secretarium SSmo Dom. Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis confirmavit annuitque, ut in Oppido Podii Bonitii ejusque Comitatus servetur tantum sub utroque praecepto festum beati Lucii praecipui patroni, sublato onere adstandi Sacro in festo Sancti Martialis praecipui patroni civitatis et dioecesis Collen.

Die 23. Aug. 1833. n. 4712.

*Ad dubium:* An possit Episcopus tolerare, quod in Calendario dicatur Patrona principalis civitatis ac dioecesis tam B. V. M., de Lacu nuncupata, quam s. Catharina v. m., quum utriusque officium et missa celebretur sub ritu dupl. 1. cl. cum oct. in tota dioecesi in casu?

S. C. resp.: Negative, etiamsi officium B. V. M. celebretur sub ritu dupl. 1. cl. cum oct.

Die 5. Mart. 1825 ad 3. *In Bricinor.*

Vd.: *Patron. Dioeces.* (oblig. cleri saec., decr. n. 4611).

#### b) Missa sol. translato Officio.

Ad petitionem, ut transferri possit Octava Epiphaniae, quia in ea cadit festum s. Hilarii protectoris princip. civitatis Parmen., S. C. resp.: Officium esse faciendum de octava; missas vero posse cantari duas, unam de festo, alteram de octava. n. 2311 die 24. Jan. 1665.

Quamvis prohibetur in I. Dominica Quadrag. Officium de quolibet Sancto, sed fiat tantum de Dominica, nihilominus S. C. annuit, ut in proxima Dominica Quadages. 1671 in Cathedr. Brixiae possit cantari missa de ss. Faustino et Jovita mm. et Patronis dictae civitatis, non omissa alia de die Dominica. n. 2523 die 24. Jan. 1671.

#### c) Obligatio ad Officium.

##### I. Cleri regularis.

Vd.: *Patronus loci; Patronus civit.* (oblig. ad Offic. Cleri saec., decr. n. 1933, 2185); *Moniales* (Breviar.).

*Ad dubium:* An Regulares habitantes extra civitatem, ubi residet Episcopus, recitato Officio Patroni et dedicationis Eccles. locorum, ubi habitant, teneantur recitare quoque Officium Patroni civitatis et dedicationis Eccl. Cathedr.?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Teneri si tunc ibi morentur.“

Atque ita declaravit, definivit servarique praecepit. n. 5042 ad 2.

Die 23. Maii 1846.

Regulares teneri ad recitationem Officii proprii Sanctorum Patroni princi-

palis Ecclesiae Cathedr. et Civitatis. n. 1805 die 10. Junii 1656.

Regulares etiam ad libitum non possunt celebrare octavam Patroni principalis, si velint, nisi id specialiter ipsis indultum fuerit ex vi concessionis apost. vel Constitutionis Religionis ab apost. Sede approbata. n. 3019 ad 8 die 20. Martii 1683; n. 3316 die 11. Julii 1693.

Moniales habentes usum Breviarii monastici, quamvis non Monachis sed Ordinario subjectae, tenentur ad faciendam Officia ss. Patronorum civitatis juxta rubricas et ritum Breviarii monastici. n. 1517 die 2. Julii 1644.

Vd.: *Breviarium monasticum*, decr. n. 4686.

Regulares debere se conformare saeculari Clero pro prima die festiva Patroni civitatis, absque tamen octava. n. 731 die 27. Mart. 1628.

##### II. Cleri saecul.

Vd.: *Protector civitatis; Suffrag.; Commem. Patroni; Dedicatio Eccles.* (Officium etc., decr. n. 3803); *Patronus* (festiv. grad.); *Patron.* (Officium); *A cunctis* (decr. n. 4897).

De Patrono principali civitatis in civitate tantum cum octava, in dioecesi vero, ubi non adsit proprius loci Patronus, similiter cum octava; et ubi colitur festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono civitatis vel attentata consuetudine sine octava sub dupl. maj. tantum. n. 1883 die 6. Apr. 1658. Idem decr. sub n. 1933 die 28. Sept. 1658, sed cum appendice: „*a Regularibus vero sine octava.*“

Festum ss. Natalis et Agricolae, patronorum principalium Oppidi Docciae ab immemorabili tempore cum Officio et Missa etiam per octavam a clero saeculari esse servandum, a regularibus vero sine octava; festum vero s. Caroli Borrom., quod etiam cadit die 4. Novbr., transferendum esse juxta

rubricas Breviarii romani. n. 2185 die 19. Aug. 1662.

De s. *Eustachio* m., patrono principali Aquaevivae et Titulari Collegiatae, fieri debet Officium de comm. un. m. et non de comm. plur. mm.; absque commemoratione aliorum, qui transferri debeant ad primam diem festo novem Lectionum non impeditam, servata rubrica. n. 2302 ad 1 die 22. Novbr. 1664. Idem decretum emanatum est de s. *Januario*, patrono civit., et ejus sociis. n. 2302 ad 2 die 22. Novbr. 1664.

Vd.: *Patronus Regni.*

*Ad dubium:* 1. In dioecesi Cordubensi ex immemorabili consuetudine celebratur festum ss. Aciseli et Victoriae mm. Cordubensium tamquam patronorum principalium civitatis Cordubae tantum sub ritu dupl. 1. cl. cum octava et praecepto in populo. At cum talis consuetudo juxta hujus S. Congregationis declarationes suffragari videatur ad sustinendum hujusmodi Officium ejusque ritum et octavam solis patronis principalibus vel principalioribus cujuscumque loci, regni vel provinciae, quaeritur: An etiam suffragetur quoad festivationem de praecepto nedum in locis particularibus praedictae dioecesis proprio patrono carentibus, verum et caeteris, quae alium Sanctum tanquam Patronum principalem colunt?

2. In iisdem civitate et dioecesi festum Patronorum praedictorum ex immemorabili etiam consuetudine est tanquam praeceptivum quoad obligationem audiendi Sacrum, non autem vacandi ab operibus servilibus. At cum ex decreto S. hujus C. diei 13. Sept. 1642 (scilicet Constitutionis Sa. Mem. Urbani Pap. VIII. relat.) utrumque de praecepto declaretur in festo Patroni principalis et proprii, quaeritur: An ad utrumque in posterum obligandus sit populus civitatis et eorum locorum

propriam Patronum non habentium vel potius in praefata consuetudine continuandum?

S. eadem C. rescripsit, ut infra, videlicet ad 1. et 2.: Negative.

N. 4501 die 20. Sept. 1806.

Si festum s. Marci Ev. erit de Patrono *Oppidi* (Robereti dioec. Trident.), erit Officium celebrandum sub ritu 1. cl. cum octava ab omnibus Sacerdotibus saecularibus ejusdem *Oppidi*. n. 4131 ad 2 die 15. Sept. 1742.

Vd.: *Patron. loci* (oblig. Cleri s. ad Offic., decr. n. 4605 nota; oblig. Regular., decr. n. 4605 ad 3).

#### d) Octava.

Vd.: *Patronus princip.* (octava).

De Patrono *principali* civitatis (Episcopi) debet Officium celebrari cum octava tam in civitate quam in dioecesi. n. 1155 ad 1 die 23. Maii 1639; n. 1530 ad 4 die 4. Martii 1645.

Vd.: t. II. p. 674. *Off. Reg.*

#### e) De vacatione ab operibus.

Vd.: *Vacatio ab operibus.*

#### f) Vesperae.

*Ad dubium*: An concurrente Sancto antiquiori Patrono civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, integre vesperae debeantur antiquiori cum sola commemoratione recentioris?

S. C. resp.: Nullam habendam esse rationem de potioritate Patronatus. n. 3057 ad 2 die 17. Junii 1684.

#### g) Vigil. cum jejunio.

Quoad Vigiliam cum jejunio s. Liborii, Patroni civitatis, oretenus Procuratorem Episcopi Paderborn. admoneri, ne suos subditos novo onere gravet, sed potius, ut indicta jam jejunia ac recepta servent exacte, eos hortetur impellatque. n. 2075 die 11. Sept. 1660.

*Ad dubium*: An Vigilia s. Catharinae principalis Patronae Bricinorien., de qua nihil fit in Officio et Missa, debeat expungi a Calendario vel saltem notari tamquam jejunium ex devotione, in casu etc.?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum et exemptione quoad futurum, quatenus opus sit. Et Sanctitas Sua annuit atque, ut ab omnibus servetur, decretum desuper expediri jussit. n. 4611 ad 4 die 5. Mart. 1825.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Se offerebat quaestio de abstinencia et jejunio servando in pervigilio festi s. Catharinae principalis Patronae. Variarum erant Sententiae. Notabat extensor Calendarii dioecesanii: Vigilia cum jejunio. Rogatus, quo jure? ignorare lassus est: neque ex caeteris inventus est ullus, qui id sciat. Certum tamen est alios esse, qui tenent ex praecepto omnino servandam, alii putant in arbitrio id relinquendum et quatenus servari velit, nonnisi ex devotione faciendum: hinc scandala et peccandi pericula. Qui jejunium non servant scandalo sunt iis, qui abstinenciam et jejunium in praecepto esse arbitrantur; et ex diverso opinandi modo oriri potest periculum quoad populum operandi cum erronea conscientia. Eoque magis id timendum, quia non una est, sed varia Confessariorum praxis. Ut rem componeret solertissimus Episcopus, onus sibi dedit scrutandi: num ex voto, num ex consuetudine, an alia quacumque ex causa hujusmodi jejunium inductum fuerit: nihilque invenisse fatetur, unde saltem conjici posset Vigiliam hanc cum jejunio de praecepto servandam. Ad hanc igitur S. C. recursum habuit pro solutione dubii.

Quid ergo juris? Decidendi ratio a regula generali petenda est, qua docemur hujusmodi jejunium non esse in praecepto; repetendam vero ejusdem originem vel a Majorum voto vel a consuetudine ac voluntaria populi devotione. Nulla lex est, quae jubeat principalium Patronorum festa praevenienda esse in pervigilio, et illa dumtaxat sub praecepto cadunt, quae in Rubricis, Breviario et Missali Romano suis apte locis notantur vel cum Officio et Missa atque jejunio servanda, vel cum alterutro tantum, juxta qualitatem festorum et temporum, in quibus cadunt. In hypothesi vero, quod jejunio originem dederit votum a Majoribus nuncupatum, hoc non obligat successores, qui non voverunt, ut pluries declaravit S. R. C., praesertim vero sub die 18. Aprilis 1643: Unanimi consensu declaratum fuit, ex dispositione Constitutionis praedictae (*Universa per Orbem Urbani PP. VIII. pro observatione festorum dat. Idibus Septbr. 1642 relat. in hac decretorum Collectione*) personas voverentes tantum teneri. Hujusmodi autem responsum idem Urbanus Pontifex laudavit et approbavit dixitque intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere festa de voto quoad vim praecepti et reducere illa ad instar festorum de devotione, praeservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsimet personis tantum, qui voverunt.

Ita etiam sancitum fuit in Hipporegien. die 19. Novembris 1650, in Marianen. die 16. Martii 1658 et 15. Februarii 1659, in Barcinonen. 20. Decembris 1659 et in Panormitana die 1. Februarii 1744. Ad consuetudinem quod attinet, haec laudabilis est, strictam tamen obligationem non inducit. Guyetus in *Hortologio lib. 1. cap. 17. quaest. 2.* de hac re agens: *multorum pia*, inquit, *ac lau-*

*dabilis consuetudo tam Saecularium quam Regularium, ut in pervigiliis suorum Patronorum sive ex devotione sive ex statuto et ordinatione aliqua particulari jejunium servent: mox quaest. 3. quaerit: num legitimus sit hujusmodi Vigiliarum usus? Et respondet ut sequitur: cum Ecclesiae illae, in quibus receptus est, insignes sint ac titulares, quae suo item gaudent Breviario proprio, non tantum legitimus est ejusmodi usus, sed etiam venerandus ac laudabilis, adeoque jure retinendus. Quoad vero alias Ecclesias, quae Romano Breviario mancipatae sunt, si talis etiam usus apud illos inductus est ex legitima item consuetudine, quae numquam interrupta fuerit, non video quid necesse sit eum abrogare, maxime cum id patitur ratio temporis, nec aliud occurrit impedimentum. Nam velim id sit praeter Rubricas quidem, at non contra . . ., ubi vero talis usus incognitus fuit hactenus, haud quaquam eum legitime induci posse crediderim, cum nihil simile in Rubricis permittatur (ubi agit de more illarum Ecclesiarum, quae proprio gaudent Breviario, jungendi jejunio Vigiliae Officium), cujus proinde silentium hac in parte pro negatione haberi debet. Esto ergo, jejunetur in mensa, SI LUBET (idem est, ac si ex devotione fiat) haud tamen propterea Officium diei immutare aut aliquid addere fas est. Equidem commendatissimus Auctor inductam laudabilem et legitimam consuetudinem vult esse servandam, quae tamen, ut prosequitur, nusquam interrupta fuerit. In specie autem nostra, num consuetudo jejunandi in pervigilio S. Catharinae legitima sit et nunquam interrupta fuerit? dubium est et dubitandi rationem affert opinionum dissensio et confessoriorum praxis, unde fit, ut aliqui de populo abstinenciam et jejunium festo prae-*